M. ANTONII
MVRETI · I · C · AC CIVIS
ROMANI. ORATIO

Mandatu S. P. Q. R. habita in
reditu ad vrbem

M · ANTONII · COLVMNAE
post Turcas nauali proelio
victos.



Romæ apud hæredes Antonij Bladij Impressores
Camerales.

De licentia Superiorum.

HABITA. EST. IN. AEDE. SACRA. BEATAE
MARIAE. VIRGINIS. QVAE. EST
IN: CAPITOLIO. IDIB. DECEMB.
M D LXXI.

SI vlla poſt hominum memoriam parta uictoria eſt, in qua & admirabilis ſe diuini numinis potentia oſtenderit; & quid fortium virorum virtus, quid ſingularis ductorum prudentia valeat, cognitum ac declaratum ſit: in hac certe, quam ſuperioribus diebus imperatores ac milites noſtri ex immaniſſimo ac taeterrimo Chriſtiani nominis hoſte retulerunt, ita haec omnia patefacta ſunt, vt nunquam maioribus aut illuſtrioribus argumentis aut illuſtrata eſſe, aut in poſterum illuſtrari poſſe videantur. Quare & immortali ac praepotenti Deo huius tanti boni, vt aliorum omnium auctori, gratiae, quantas maximas animus noſter capit, agendae ſunt: & fortiſſimis, ac clariſſimis viris, qui periculum a nobis omnibus vitae ſuae periculo depulerunt, qui barbaris in nos irruentibus iter corporibus ſuis occluſerunt, qui peſtem ac perniciem, quam illi nobis machinabantur, in ipſorum capita conuerterunt, qui illorum temeritatem conſilio, furorem fortitudine, audaciam uirtute ſuperarunt, noui atque inuſitati honores pro noua ipſorum atque inuſitata virtute tribuendi: Quod enim tantum ac tam ſingulare honoris genus reperiri aut excogitari poteſt, quod non & aliis, qui egregiam in hoc bello reip. Chriſtianae operam nauarunt, & tuae in primis M. ANTONI COLVMNA virtuti rebusque geſtis, & ab aliis chriſtia-

nis populis, & praecipue a Populo Romano debeatur? Cuius vniuersi quod sit erga te studium, quae voluntas, neque tibi umquã aut dubium aut obscurum fuit: & tamen nuper apertissime cognoscere potuisti: cum, tuo in vrbem ingressu, tantus ad te omnium aetatum atque ordinum concursus factus est, tanta effusa omnis generis multitudo, vt ipsi septem colles, ipsa vrbis moenia, si natura pateretur, sedibus suis relictis, obuiam tibi prodire cupere viderentur. Quacunque incesseras, faustis acclamationibus omnia personabãt: omnes redundãtem & foras erumpere gestientem laetitiam ore, oculis, manibus indicabant: omnium in te vno figebatur obtutus: omnes te, non vt vnum ex principibus ciuitatis, sed vt firmissimam ac solidissimã Romani nominis ac dignitatis columnam intuebantur: Caelum ipsum manifesto fauit honori tuo: cum quod, aliquot dies antea, triste ac nubilum fuerat, ingressuro te, ita de repente nitere coepit, ut illa subita serenitas facile omnibus indicarit, honores qui tibi haberentur etiam caelestium iudicio comprobari. Nunc quoque, quanta hoc augustissimum templum frequentia hominum cõpleuerit vides: qui omnes eo animo huc conuenerunt, vt Christo IESV victori & victoriarum datori, vt beatissimae virgini, vt ceteris caelitibus, quorũ auxilio hanc victoriam sine vlla dubitatione acceptam ferre debemus, tum propter fusos ac fugatos hostes, tum propter te saluum ac sospitem in patriã reductum, rite ac pie, vt debent, gratias agant. Beatum te M. Antoni, propter cuius & abeuntis periculum, & redeuntis salutem templa complentur. Meminimus omnes, superioribus

rioribus mensibus, te ad bellum profecto, quae tota vr
be fuerit trepidatio, quae sollicitudo, qui pauor. Quā
uis enim & duces delecti erant fortissimi ac sapientissi
mi, & ex toto propemodum orbe Christiano flos ipse
nobilitatis conuenerat, & praecipua Italiae atque hu-
ius vrbis ornamenta ac columina in exercitu versaban
tur: tamen eo magis metuebantur varii bellorū & an-
cipites casus, quod si quid aut propter vim tempesta-
tum: aut propter hostilium copiarum magnitudinē,
aut quo alio euentu grauius accidisset: nulla reliqua
spes erat, vllum amplius aetate nostra talem exercitum
posse denuo comparari. Vagabatur autem toto mari
infinita quaedam latronum multitudo, nostro sangui-
ne cruenta, nostris spoliis onusta: qui & semper alias
suopte ingenio feroces, & tum maxime propter re-
centes victorias spe atque animis inflati, tantos sibi spi
ritus, tantam arrogantiam sumpserant, vt classem qui-
dem nostram a se spiritu ipso difflatum iri, ea vero dis-
iecta, quasi ianua quadam effracta ac reuulsa, omnes
sibi Christianorum portus, omnes insulas, omnē oram
maritimam apertam fore arbitrarentur. Augebat ti-
morem nostrū, quod anno superiori eas deus aliena-
tae a nobis propter peccata nostra volūtatis suae signi
ficationes dederat, vt non iniuria trepidaremus, ne il-
le merito nobis iratus, per hostes nominis sui a popu-
lo suo poenas repetere decreuisset. Sed o caeca homi
num iudicia. o abstrusa & recondita dei consilia. o bo
nitatem ac clementiam ipsius perpetuo praedicandā.
Vere dominus est qui vulnerat & medetur: percutit & Iob 5.
manus eius sanabunt: qui mortificat & viuificat: qui 1.Reg.2
deducit

Psal.117 deducit ad inferos & reducit. Pro paterna sua miseri
cordia, castigans castigauit nos: sed morti nō tradidit
nos. Respexit ad lacrimas, ad ieiunia, ad eleemosynas,
ad preces ecclesiae suae: ad quae omnia PIVS V. & no
mine & re sanctissimus pōtifex, toto illo tempore, alios
omnes & praecepto & exemplo suo incitabat. Em se
nex sanctissime & veterū illorum pontificū simillime,
scelerū vltor, iustitiae cultor, ueteris disciplinae restitu-
tor, cui, bono publico, his miseris ac turbulētis tempo
ribus, ecclesiam suam gubernandam cōmisit deus: hic
est fructus lacrimarum atque obsecrationum tuarum:
tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium: tua quoti-
diana sacrificia hanc nobis a deo victoriam impetra-
Psal.125 runt. Metis exultans, quod lacrimans seminasti. Te
Exo.17 nouo Moyse manus in caelum tollente, nouus hic Iō
sue superabat Amalechitas. Tu mentem in deo, no-
stri milites in barbarorum corporibus tela figebant.
Confirmabant illorum dexteras preces tuae, & hosti-
lium gladiorum cuspidem retundebant. Itaque quan
to plus nobis dedit deus quam petebamus? Nos timi
di vota faciebamus, ut hostium classis, cum, aduentare
nostram, auditum esset, quam celerrime se ad suos reci
peret: quo post tot editas strages, timuisse tamen, &
expectare ausa nō esse nostrorum impetum videretur.
nam illud prope immodicum videbatur optare, vt &
congrederentur, & se barbari, nostrorum uirtute cogni
ta, in fugam darent. quod si ad efficiendam aliquā ima
ginem speciemque uictoriae, aliquot illorum naues de
pressae, aliquot captae, numerus aliquis captiuorum li
beratus esset: abunde omnes nō expectationi modo,
sed

sed optatis quoq; nostris satisfactū fore arbitrabamur. Vt autem sine magna nostrorū clade, amplius quadraginta hostium millia caederentur: ut decem & eo amplius millia caperentur: ut cētum nonaginta quinque illorum triremes, aliaque complura nauigiorum genera in nostrorum potestatē uenirent: ut plus quindecim captiuorum nostrorum millia liberarentur: ut ex tanta illorū multitudine uix unus perfidus pirata, & unus item saeuissimi praedonis Ariadeni filius fuga elaberētur, qui ad superbas immanis illius tyrāni aures acerbissimum minimeque ab ipso expectatum tantae cladis nuntium adferrent, quis unquam nostrum, non dicam sperare, sed propemodum optare ausus est? Praecucurrit fortitudo uestra spes nostras: quaeque nos ne frustra optaremus uerebamur, ea ut frustra hostis optaret, admirabili dei beneficio & uestra singulari uirtute perfectum est. Illud uero memorabile & animaduertendum, neque fortuito accidisse, sed iustissimo dei iudicio effectum esse credendum est: quod qui duo ex illa impura foedissimorum mancipiorum colluuie maximas minas iactare, qui vni ex omnibus Christianorum vires maxime despicere soliti erant: vt etiam apud illum stolidum ac furentem dominum suum ausi essent gloriari, se centum triremibus, quicquid vsquam Christianorum esset, vndique exterminaturos: ij potissimum, cum ad manus ventum est, ita subito perterrefacti sunt, vt mare ipsum angustum eis esse ad fugam videretur. O nonae Octobres, quam faustam ac felicem nobis posterisque nostris vestri memoriam reliquistis. Quis non eorum, qui proelio non interfuerunt,

runt, vt sibi liceret spectasse quae illo die gesta sunt, annum vnum de consequentis vitae suae spatio, si fieri posset, ademptum velit? Solem ego ipsum, ita uiuam, in tam pulchro spectaculo, ut Iosue olim aduersus Amorraeos pugnante, substiturum fuisse arbitror: nisi tanta fuisset uincendi celeritas, ut qui nihil metuebãt, id unum metuere uiderentur, ne prius aduesperasceret, quam omnes hostes aut caesi, aut capti, aut fugati essent. Quaenam igitur statuae, qui arcus, quae columnae, quae trophea uobis excitari poterunt, uiri fortissimi, quae, non dico paria esse meritis uestris, sed eorum partem adumbrare aliquam possint? qui futuri sunt usque eo diserti ac copiosi historiarũ scriptores, qui, cum ad Naupacteam uictoriam uentum erit, non potius metuant, ne quid de illius magnitudine deterant, quam eam se uerbis exaequare posse confidant. Semper enim iustum minuendi metum faciunt ea, quae amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt. Vos exultantem barbarorum audaciam compressistis: vos maria illis clausistis, nostris aperuistis: uos flammã atque ferrum, uos caedem, incendia, rapinas, libidinẽ, a Christianorum uita, tectis fortunis, corporibus arcuistis. Vos a templis sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris uastitatem depulistis: per uos cruenta ac tepefacta maria illorũ sanguine redundarunt: per uos uicina litora illorum aut sauciorum aut morientium inconditis ululatibus personarunt: uobis magistris didicit noster miles uincere, barbarus uinci: uobis Christianorum alii uitam debent, alii libertatem, omnes securitatem. Durum, fateor, fuerat, audire, tam multa

oppida

oppida a nefariis latronibus capta, tam multa incen-
sa, tam multas regiones vastatas, abducta in seruitu-
tem tam multa hominum millia: sed si Christi poten
tia, si Christianorum fortitudo aliter apud barba-
ras gentes illustrari, quam post tot acceptas calami-
tates, non poterat, prope est, ut exclamem, tanti
fuisse. Certe quidem ut uerni temporis clementia
& amoenitas minus hilararet animos nostros, nisi eā
hiemis rigor & asperitas antecessisset: ita minus om-
nes huius victoriae iucunditatem ac dulcedinem sen-
tiremus, nisi eam cum superiorum temporum tristitia
& acerbitate compararemus. Neque vero eos tan-
tum, qui ex illo nobis omnibus salutari proelio, re be-
ne gesta, incolumes reuerterunt, omnibus maximis
honoribus debemus afficere: sed eorum quoque me-
moriam grato animo amplissimisque laudibus prose
qui, quos in illo conflictu fortiter dimicantes, non
tam vis hostium perculit, quam ille ipse pro quo pu-
gnabant, sibi pigneratus est Christus. Qui si, vt cre-
dibile est, prius Christiano ritu expiati, ac culpis om-
nibus soluti, tunc vero in deum tantum intuentes,
& in eo mente ac cogitatione defixi, vitam pro il-
lius gloria proiecerunt, eodem illo temporis puncto
angelorum legionibus stipati, triumphantes in cae
lum euolarunt. O uos beatissimos, qui sanguinem ve
strum pro eo fudistis, qui prior ipse pro uobis suum
sanguinem fuderat: qui mortem naturae debitā pro
vitae auctore potissimum reddidistis. Illi impii, quos
cum concidebatis, cum concidistis, & mortem oppe

B tierunt

tierunt cum ignominia,& mortui poenas nunc ad inferos luunt: uos uero & extremum ſpiritum victores cum gloria effudiſtis, &, mortali conditione vitae in immortalitatem commutata, piorum eſtis aeternam ſedem & locum conſecuti. Beata vita, quae tali morte concluſa eſt: beata mors, quae tali vitae principium dedit. Sed vt ad te M. Antoni mea iam reuertatur oratio, neque populus Romanus ignorat, neque umquam vlla ignoratura eſt aut gens aut aetas, huius immortalis gloriae multo tibi plus quam pro uirili parte deberi. Tu iam inde a principio, cum a ſanctiſſimo Pontifice Pio Quincto huius ſaluberrimae principum Chriſtianorum coniunctionis fundamenta iacerentur, ad eam rem ex ipſius ſententia conficiendam, plurimum laboris, operae, auctoritatis contuliſti. Tu cum claſſi Pontificiae ſummo cum imperio praefectus eſſes, in Siciliam profectus, interea dum IOANNES AVSTRIVS, non mea tantum, ſed omni omnium praedicatione maior adoleſcens cuius in totam Chriſtianorũ claſſem ſumma erat auctoritas ac poteſtas, eodem perueniret, & milites & claſſiarios ſtudioſiſſime exercuiſti: &, vt omnium rerum ad maritimum bellum neceſſariarum copia ſuppeteret, perfeciſti. Tu, quoties de ſumma re deliberatum eſt eas ſententias dixiſti, quae ſummam prudentiam cum ſumma animi excelſitate coniunctam indicarent. Tu, cum offenſiones quaedam interueniſſent, quae rem in ſummum periculum adduxerant, iratorum animis, ſapientiſſime capto conſilio, & graui

atque

atque accommodata ad tempus oratione mitigatis ac compoſitis, naſcentis mali occaſionem ſuſtuliſti. Tua cohortatione inflammati milites ad pugnā exarſerunt: tuum in ipſa pugna exemplum ſecuti, omnia pro Chriſto pericula contempſerunt. Peruenit ac perlatus eſt vſque huc tuarum immortalitate dignarum vocum ſonus: optimis auſpiciis geri quaecunque pro Chriſtiana religione gererentur: barbaricam audaciam cedentibus inſtare, inſtantibus cedere: noſtrorum & victoriae & morti immortalem gloriā propoſitam eſſe: illo duce atque auſpice, cuius brachia in cruce pandentis effigies, e ſummo regiae triremis eminens, noſtros animaret, terreret hoſtes, de ſecundo praelii exitu nemini eſſe dubitandum. Audiui, audiui ipſe de fortiſſimo uiro, cuius eximia uirtus & ſaepe alias, & in hoc bello uel maxime ſpectata eſt, quique tuorum in hac expeditione conſiliorum ac laborum particeps fuit, quam praeclarum tibi, quamque honorificū teſtimonium tribuerit diuinus adoleſcens Ioannes Auſtrius: poſtridie eius diei quo debellatum eſt: cum aperte praedicaret, tuū in hac ſancta belli ſocietate conflanda praeter ceteros laborem ac ſtudiū: in deliberando, prudentiam & altitudinem animi: in re gerenda, fortitudinem & alacritatem extitiſſe: te & committendi praelii cōſuaſorem, & comparandae victoriae adiutorem ſibi praecipuum fuiſſe. Quae cum omnia magna & praeclara ſint, multo tamen à te maiora, & praeclariora populus Romanus expectat. Properant M. Antoni noſtra omniū uota: qui-

 que

que animis praeſentis gaudii magnitudinem capere vix poſſumus: rerum a te geſtarum praeſtantia, quaſi quibuſdam alis, ſublati, cogitatione & ſpe multo iam vlterius prouolamus. Non ſatis eſt impuliſſe hoſtem: proſternendus & opprimendus eſt, antequam ſe nouis opibus copiisque renouarit. Extorquenda ſunt vobis ex illius beluae faucibus impioque dominatu ampla illa & opima regna, in quae, a Romano imperio diſtracta atque diuulſa, nullo iure, iniuſtiſſimus poſſeſſor inuaſit. Tendit uobis Iudaea ſupplices manus: & palmas, quarũ feraciſſima eſt, veſtris victoriis triumphisque deſpondet: obteſtaturque vos per eũ quem ex puriſſimae matris vtero mirabiliter exeuntem excepit: cuius veſtigiis impreſſa, cuius admirandis operibus nobilitata, cuius ſparſo pro nobis omnibus ſanguine irrigata eſt, ne ſe diutius patiamini indigna Chriſti hoſtium ſeruitute oppreſſam teneri. Duce olim colũna Iudaei ex dura ac diuturna ſeruitute extracti ſunt. Vtinam noſtris quoque temporibus Iudaea ipſa, duce Columna, ex multo duriori multoque diuturniori ſeruitute extrahatur. Proditum eſt litterarum monumentis, imperante Conſtantio, Conſtantini magni filio, uiſam eſſe in caelo ſub ſpecie crucis ingentem columnam coronatam, quae longe lateque collucẽs, a monte oliuarum uſque ad eum mõtem, ubi Chriſtus pro nobis omnibus morte affectus eſt, pertineret. Declarandum eſt tibi M. Antoni rebus ac factis, tam inſigne prodigium ad te & ad gentem tuam pertinere. An uero gentes quaedam antiquis tẽ

poribus